



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

8. Inspectio operum multum valet ad disciplina[m] & Examinatio quotidiana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

disciplinam multum valet, sic exemplum malum multum nocet, maximè in illis in quibus viuit amor seculi, emolliens eos vt deformitatem seculi facillè recipiant. Ideo in aliquibus claustris disciplina non obtinetur: quia quod doctrina suadet, exempla dissuadent. Verbo homines diriguntur ad salutem: manu impelluntur vel trahuntur ad damnationem. Vnus ædificans, & vnus destruens: quid prodest illis nisi labor? Eccl. 34.

*Quod ad obtinendam disciplinam multum valet frequens inspectio operum, & quotidiana examinatio.*

## CAPVT VIII.

**M**ultum valet etiam ad obtinendam disciplinam, si is qui in religione est, quotidiana discussione cogitationes, locutiones, simul & facta sua apud semetipsum examinet, sollicitè attendens non solum quid agat, sed etiam qua intentione illud agat; frequenter cogitans, an quod faciendum est faciat: an bono operi malum aliquod admisceat: an quod agit, quanta oporteat diligentia adimpleat: an alterius bonum vt suum diligat: & si suum malum vt alterius malum reprehendat. Per singulos dies ad iudiciū vitam suam vocare debet. Manè considerare quid egerit per noctem: in vespera quid egerit per diē. Si quid ex his quæ agenda erant diligenter, neglexerit: aut si quid ex his quæ agenda nō erant, presumpserit: & si in aliquo opere insidiis inimici supplantatus fuerit, excogitare qualiter fraudē illius futurā cauere possit: iuxta cohortationem Apostoli, semetipsum debet sollicitè custodire: & ve

*Exod. 24.*

& vt hoc melius possit facere , ab aliis oculos suos multum debet auertere , cum propriis vitiis bellum habere , rixam verò cum alienis declinare. Sapiens: Proprium est stultitię, aliena vitia cernere, sua obliuisci. Dixit Dominus Moyfi: Mitte manum tuam in sinum tuum. Quàm cum misisset in sinum , protulit leprosam. Retrahe, ait , manum tuam in sinum tuum. Retraxit , & protulit , & erat similis carni reliquæ. Ille quem de mari mundi Dominus ad religionem assumpsit , manum in sinum mittit , quando in corde operationes suas discutit: in quibus in principio lepram peccati reprehendit: sed inspectionem istam frequentando, tandem ad puritatem operum peruenit.

*Quòd ad obtinendam disciplinam valet pudor.*

## CAPVT IX.

**A**D obtinendam disciplinã etiam multum valet pudor. Quod patet per hoc , quòd Philosophus describens modestiam, quam dicimus esse idem quod disciplinam , ait: Modestia est virtus , qua pudor honestatis puram & stabilem comparat auctoritatẽ. Pudor est timor turpitudinis, vel fuga rei indecentis. Declinatio indecentiæ in exterioribus , efficit ordinationem exteriorem, quæ modestia est: & sic comparatur auctoritas seu grauitas pura , non habens admixtionem sui contrarij , scilicet vtilitatis & instabilitatis. Pudor enim qui eam efficit, ipsam seruat. Dicitur autem pudor honestatis ad differentiam fatui pudoris , quo aliqui fatuè erubescunt , vnde gloriari deberent. Et notandum quòd